

Quin potius lætam nobiscum exporrige frontem,
Dum finit hoc fatum, dum finit ista dies;
Ætas præcipiti, quæ floret, volvitur axe;
Crastina præsentis tristior hora venit:
Quid tibi cum rigido, qui censet cuncta, Catone!
Agnatum Senibus crimen id esse puta,
Gaudia vernantis tantùm prohibere Juventæ,
Queis tamen in toto suavius orbe nihil.
Me sequere, & quò me Cytharæq; Lyreq; Tubæq;
Quò me Deliciæ, Jubila, Mensa citant.
Tunc opus & labor est, has prætervertere Syrtes,
Ne dirumpatur sic agitata ratis.
Si fortè explentur mandata & vota bonorum:
Si discit juvenis displicuisse sibi,
Divexat miseros Ætas & Cura VIRILIS:
Clarius hæc monstrat, QUAM NIHIL OMNIS
HOMO!

Ignorat peragenda, dolet VIR sæpè peracta:
Ut sapere incipiat, non sapit atque sapit.
Eligit uxorem, quassantur in aëre Tædæ:
Masculus applaudit Fæmineusq; chorus.
Lætatur Sponsus, se jactat in orbe Monarcham,
Cui vix Mancipio post licet esse domi.
Tres abeunt luces, vel, si sit gratia larga,
Quatuor, & sentis, QUAM NIHIL OMNIS HOMINIS
Uxor alenda tibi: nec sumptû parcere fas est:
Aut parce; haud parco scommate notus eris.
Quid facit illa? facit pulchrâ te prole parentem,
Ut det lætitiæ mutua signa suæ.
Hæc quid? alenda tibi: nec sumptû parcere fas est:
Aut parce: haud parco scommate notus eris.

Pro